

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (12)

3.5.2. De virorum monasterio Sancti Andreae

3.5.2.1. De ipso monasterio

Similiter ac de ecclesiā exstruendā Ildefonsus Schober inter primam visitationem quōque monuerat, ut virorum monasterium Sancti Andreae conficeretur.¹ Nam imprimis illius aedificii interior pars nondum revera perfici poterat.

Magni momenti hac in re erant unā ex parte scalae principales, quae usque tunc solum provisoriae atque lignae fuerant.² Necessarium autem erat, ut eadem denique lapideae construerentur.³ Alterā ex parte cellae monasticae in meliorem statum redigendae erant. Cum iam anno 1897^o de ecclesiā monasteriali exstruendā cogitaretur, quae paulo post aedificari coepta est,⁴ tempore atque pecuniā itaque deficientibus instructio definitiva ipsius monasterii solum lente atque operibus intermissis progrediebatur.

Primo mense Maio a. 1897ⁱ ambulacrum superius depictum est atque omnes cellae monasticae nomine alicuius apostoli ornabantur.⁵ Denique autem mense Martio a. 1898ⁱ nuntiatur cellas monasticas tunc instructas esse.⁶

Magnae autem vicissitudines factae sunt, cum in eo esset, ut aedificium novae ecclesiae monasterio adiungeretur. Nam mense Augusto a. 1897ⁱ, ut sacristia atque chorus hiemalis cum monasterio bene coniungi possent, illius aedificii murus occidentalis - vel saltem eiusdem pars quaedam - destrui debuit.⁷ Ut in chronicis refertur, illis operibus magnus strepitus atque multum

¹ Cfr Frumentius RENNER: Der fünfarmige Leuchter. I. St. Ottilien ²1979, p. 291; Maria HILDEBRANDT: Lebendige Steine. St. Ottilien 2008, p. 130.

² Cfr supra cap. 2.3.7.5.1.

³ Cfr Maria HILDEBRANDT (2008), p. 133.

⁴ Cfr supra cap. 3.5.1.

⁵ Cfr Chron. Ottil. m. Ian./Mart. a. 1897; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 14 [typoscriptum ordinatralle in archivio Ottiliensi asservatum]; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 133. - Illo tempore etiam statua Beatae Mariae Virginis supra portam monasterii constituta est.

⁶ Cfr Chron. Ottil. m. Mart. a. 1898.

⁷ Cfr Chron. Ottil. m. Aug. Aug. a. 1897; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 133; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 14.

pulveris in monasterio exoriebantur. Imprimis Prior P. Ludgerus Leonard his difficultatibus affectus erat, cuius cella in propinquo structionum sita erat.

His structionibus factis in monasterio quaedam aliae res mutatae sunt. Quae unā ex parte ad ornatum monasterii spectabant. Nam mense Februario a. 1898ⁱ in ambulacro superiore quattuordecim imagines suspensae sunt, quibus stationes viae crucis repraesentabantur.⁸ Hae imagines tamen erant imitata talium stationum, quae in Stutgardiensis ecclesiā Sanctae Mariae inveniebantur et quae ex artium scholā Beuronensi exortae erant. Alterā ex parte quaedam mutationes practicae factae sunt. Nam mense Octobri a. 1898ⁱ parvae scalae cochleares, quae usque tunc ad exteriorem partem occidentalem aedificii affixae atque structuris quibusdam ab pluviā protectae erant, in ipsum aedificium translatae sunt.⁹ Praeterea duo oeci fornicati maioribus fenestris atque fore ferreā ita instructi sunt, ut deinde ibidem archivum institueretur.¹⁰

Eodem tempore, id est mense Septembri a. 1898ⁱ, constituebatur, ut murus clausurae conficeretur. Occasio enim erat opportuna, cum ex ecclesiā aedificandā lateres superessent, qui ad hanc rem bene adhiberi potuerunt. Murus autem mense Novembri eiusdem anni exstructum erat, qui in longitudinem mille quingentorum metrorum extendebatur et quo hortus circumcludebatur, cui magnitudo circiter septem hectarearum erat.¹¹ Tunc etiam «stagnum cyncorum», quod dicebatur, muro clausurae circumdabatur.¹²

Postquam autem die 12^o m. Mart. a. 1899^o ecclesia confecta erat benedicta et hunc in modum usui tradita est, oratorium provisorium, quod in oeco originaliter refectorio destinato institutum erat,¹³ non iam erat necessarium. Itaque ille oecus deinde iterum ut refectorium instruebatur et etiam oecus capituli

⁸ *Cfr* Chron. Ottil. m. Febr. a. 1898; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 133.

⁹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Oct. a. 1898; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 16; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 133.

¹⁰ *Cfr* Chron. Ottil. m. Oct. a. 1898; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 16; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 133.

¹¹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Sept. a. 1898; m. Nov. a. 1898; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), 15; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 262.

¹² Illud stagnum in longitudinem octoginta metrorum atque in latitudinem quadraginta metrorum extendebatur. - *Cfr* Chron Ottil. m. Nov. 1898.

¹³ *Cfr* supra cap. 2.3.7.5.1, adn. 26.

munere suo destinato denique fungebatur.¹⁴

Hunc in modum postulatum in primā visitatione canonicā prolatum maioribus intervallis, quae et exstructioni ecclesiae et pecuniae deficienti debita sunt, ad effectum adduci potuit.¹⁵

3.5.2.2. De bibliotheca

Specialis quaestio semper erat bibliotheca, non solum quod attinet ad locum, sed etiam quod spectat ad organizationem. Postquam aedificium monasterii usui traditus est, bibliotheca ex aedificio Sancti Michaelis in ipsum monasterium transportata est, ubi in conclavi, quod nomen Sancti Iosephi habuit, constituebatur. Sed satis celeriter hōc conclave nimis parvum erat, quā de causā circiter annum 1896^{um} libri in duos oecos in secundo tabulato monasterii sitos translati sunt.¹⁶ Paulo post conclave proprium inter duo dormitoria situm instruebatur, quo libri dupliciter in bibliothecā exstantes recipiebantur. Quia spatium ad libros suppetens semper erat problema, iam in fine noni decennii saeculi undevicesimi «bibliotheca discipulorum» atque «bibliotheca musica» separabantur, quae prima in aedificio Sancti Michaelis locum inveniebat et quae altera in conclavi quodam ambulacri inferioris constituebatur. Anno autem 1900^o bibliothecā monasteriali iam undecim milia librorum continebantur.¹⁷

Sed magni momenti non solum erat locus, quo libri constituerentur, sed etiam ipsi bibliothecarii, qui libros curarent atque ordinem instituerent. Ordo quidam tamen in bibliothecā omnino necessarius est, ut certi libri celeriter atque facile iterum inveniantur. Quod autem ad munus bibliothecarii attinet,


¹⁴ *Cfr* Chron. Ottil. m. Maio a. 1901, ubi refertur instructionem oeci capituli paulatim ad finem vergi. - *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 133.

¹⁵ Praeterea mense Iunio a. 1899ⁱ, cum locus pro novitiis nimis angustus factus esset, eorum cellae sive dormitorium - sicut dormitorium fratrum conversorum - in subtegulaneum translatum est. - *Cfr* Chron. Ottil. m. Iun. a. 1899; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 18. - Etiam in culinā quaedam structurae mutabantur, cum ex. gr. mense Maio a. 1901ⁱ parietes prioris cellae penariae amoverentur et hunc in modum ipsa culina quadrante maioraretur atque pulchrior redderetur. - *Cfr* Chron. Ottil. m. Maio a. 1901; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 20.

¹⁶ De his rebus *cfr* Beda DANZER: Geschichte der Bibliothek (1907 sqq.), pp. 2 sq. (ASO, A.12 [manuscriptum in archivo Ottiliensi asservatum]).

¹⁷ *Cfr* Beda DANZER: Geschichte der Bibliothek (1907 sqq.), p. 3 (ASO, A.12).

in monasterio Ottiliensi illis annis difficultas quaedam exstabat.¹⁸ Nam unā ex parte illi, qui primo bibliothecarii munere fungebantur,¹⁹ ad talia specialiter non erant instructi, alterā ex parte iidem insimul alia officia explere



*Bibliotheca monasterii Ottiliensis circiter annum 1900^{um} receptum.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 132.]*

debuerunt, ita ut ad bibliothecam curandam non nimium temporis restaret. Insuper plerumque singuli «bibliothecarii» non diu hōc in munere manserunt, sed ad alia opera explenda mittebantur. Demum cum P. Cyrillus Wehrmeister

¹⁸ *Cfr* Beda DANZER: *Geschichte der Bibliothek* (1907 sqq.), p. 4 (ASO, A.12); Longinus KEPLER: *Die Geschichte der Bibliothek* (s.a.), p. 1 (ASO, A.12 [typoscriptum in archivo Ottiliensi asservatum, quod aliquando post annum 1975^{um} compositum est]).

¹⁹ Beda DANZER: *Geschichte der Bibliothek* (1907 sqq.), p. 4 (ASO, A.12) hōc in conexū enumerat Thomam Spreiter, Basilium Ferstl, Dominicum Enshoff, Ambrosium Mayer, Matthaeum Schlichting; Longinus KEPLER: *Die Geschichte der Bibliothek* (s.a.), p. 1 (ASO, A.12) Dominicum Enshoff non commemorat, sed praeterea Ludovicum Hartmann, Andream Eckardt, Canisium Kügelgen habet.

anno 1902° munus bibliothecarii denuo susciperet,²⁰ īdem solleter atque scitē ordinem aptum in bibliothecam introducere coepit.

3.5.2.3. *De monasterii domo portaria*

Portaria domus meridionalis²¹ decursū temporis etiam compluries mutata est. Nam iam satis mature in eiusdem latere meridionali parva structio adiuncta est, ubi inde es anno 1897° Natalicium praesaepe mechanicum F.re Romualdo curante atque omnibus gaudentibus constituebatur.²²



*Domūs portariae desuper receptae,
unde bene nova aedificii pars adiuncta conspicitur.
[Missionsprokura I, p. 2 (ASO, K.8).]*

Sed anno 1902° P. Dominicus Enshoff hōc praesaepe inde amovit. Deinde illum oecum tecto plano instruendum curavit atque huic parti aedificii novam structuram adiunxit, quae tecto cuneato²³ satis plano contacta erat. Praeterea

²⁰ P. Cyrillus Wehrmeister iam anno 1898° per aliquod spatium temporis fuerat bibliothecarius, sed quia īdem nimia officia habuit, inter annos 1899^{um} et 1901^{um} P. Thomas Spreiter et P. Matthaeus Schlichting hōc munere fungebantur.

²¹ *Cfr* supra cap. 2.3.7.5.2.

²² *Cfr* Chron. Ottil. m. Dec. a. 1897; Missionsprokura (s.a.) I, p. 1 (ASO, K.8 [manuscriptum in archivo Ottiliensi asservatum auctore anonymo]); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 284.

²³ tectum (-ī n.) cuneatum: *Satteldach*. - *Cfr* Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saraviponti ³1991, p. 471.

huic tecto fenestrae insertae erant, ita ut oecus inde lumen diurnum acciperet.²⁴

Haec nova pars domūs portariae museo missionario²⁵ destinata erat, quia in monasterio ipso locus rebus exhibendis non iam sufficiebat.²⁶ In novis oecis res visitoribus praebebantur expositae in mensis specialibus atque in armaris vitreis. Exhibitio musealis ita excogitata erat, ut omnia pulchre atque digne collocarentur. Tamen ipsa aedificii pars nova museo non ita apta erat, cum structura non esset bene praecogitata. Nam unā ex parte aedificium profundius situm erat quam circumiecta, ita ut aqua pluvia ibi colligeretur atque in oecos museales influeret. Alterā ex parte fenestrae tecto insertae museo non erant aptae, cum aestivo tempore radii solis nimis vehementes rebus exhibitis nocerent et hiemali tempore per repla fenestrarum non ita densa nix liquefacta in oecos influeret, quā condicione res exhibitae etiam non meliorabantur.²⁷ Itaque museum Africanum tantummodo duos annos ibidem locum habuit.

3.5.3. De aliis aedificiis locisque

Quamvis maximum temporis spatium operandi atque maxima pars pecuniae, quae in promptu erat, imprimis ad ecclesiam exstruendam et deinde ad monasterium conficiendum adhiberetur, tamen quaedam aliae res quoque fieri potuerunt.

Sic coemeterium, quod anno 1890^o iam usui traditum erat,²⁸ denique mense Martio a. 1897ⁱ recenter formatum est atque pulchro horto circumdatum est.²⁹ Ex proposito autem P.ris Andreae Amrhein tantummodo collis centralis ad effectum adductus est, qui octangularis atque per tres gradūs xystiformes in

²⁴ *Cfr* Chron. Ottil. m. Iun. a. 1902; Missionsprokura (s.a.), I, p. 1 (ASO, K.8); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 284. - Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 21 non ita recte scribit hoc novum aedificium in latere septentrionali aedificii Sancti Michaelis adiunctum esse.

²⁵ Illo tempore adhuc «museum Africanum» appellabatur, cum Ottiliani tunc solum in Africā stationes missionarias haberent.

²⁶ *Cfr* Missionsprokura (s.a.), I, p. 1 (ASO, K.8); Missionsblätter 6, 1902, p. 91; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 162, 284.

²⁷ *Cfr* Missionsprokura (s.a.), I, p. 2 (ASO, K.8); Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 162, 284.

²⁸ *Cfr* supra cap. 2.3.7.6.

²⁹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Ian./Mart. a. 1897; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 14; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 274.

altitudinem extendebatur. Mense Maio a. 1899ⁱ demum murus, quo coemeterium circumdatur, contactus est atque harenationem accepit.³⁰

Mense Iunio a. 1899ⁱ labores incohabantur, qui interea etiam necessarii erant, nempe restauratio cappellae Sanctae Ottiliae.³¹ Ut ex praedispositione sumptuum, quam Fr. Paulus Sauter iam die 27^o m. Sept. a. 1897^o ad magistratūs regionales Landsbergenses miserat, apparet, propositum erat, ut fenestris vitra multicoloria cathedralia, quae dicuntur, insererentur et ut pavimentum restitueretur et ut parietes recenter depingerentur.³² Opera ipsa maximā ex parte fratres Ottilienses susceperunt. Videtur autem in antecessum disputatio quaedam cum administratione regionali exorta esse, quā dubitationibus quibusdam prolatis agebatur de quaestione, quo genere structurae restorationes fierent. Tamen hanc disputationes Ottiliani satis celeriter componere valebant.³³

Praeter quasdam alias res, quae illo spatio temporis fiebant,³⁴ breviter commemoranda est domus Sancti Gabrielis. Hōc aedificium decursū temporis variis scopis iam destinatum erat. Sed inde ex anno 1901^o, ex quo speciale institutum Ottiliense pro alumnis operatoriiis exstitit, in domo Sancti Gabrielis quaedam conclavia his alumnis destinabantur, ut iidem ibi habitarent.³⁵

³⁰ *Cfr* Chron. Ottil. m. Maio a. 1899; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 18.

³¹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Iun. a. 1899; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 18.

³² *Cfr* praedispositio sumptuum diei 27 m. Sept. a. 1897 (ASO, A.14.3). Summam fore 1780 marcas Paulus Sauter praecalculaverat. Ut ex eodem documento apparet, 1300 marcae iam in promptu erant (quas agricola quidam Aeresingensis praebuisse videtur), reliquam summam pecuniariam ipsi Ottiliani erogare voluerunt.

³³ *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 37 sq.

³⁴ Sic ex. gr. mense Martio a. 1898ⁱ hospitium pristino cauponi eiusque uxori ad curandum administrandumque traditum est, quam rem iidem inde ab mense Novembri a. 1899ⁱ susceperunt (*cfr* Chron. Ottil. m. Mart. a. 1898; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), pp. 15, 18). Praeterea mense Novembri a. 1900ⁱ domui vitreae, quae in horto monasteriali in regione meridionali domūs portariae sita erat, calefactio vaporaria instructa est (*cfr* Chron. Ottil. m. Nov. a. 1900; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 19; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 270). Anno autem 1901^o domui Sanctae Annae in parte meridionali aedificium unius tabulati adiunctum est, quo oeci ad lavandaria exsiccanda atque leviganda et insuper oecus furno instructus continebantur (*cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 61).

³⁵ *Cfr* Leander BOPP: St. Ottilien fünfzig Jahre Abtei. St. Ottilien 1952, p. 28 (typo-scriptum in archivo Ottiliensi asservatum); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 47.

Circiter duodecim alumni in initio illis in conclavibus versabantur. Hunc in modum oecotrophēum iam condebatur, sed ipsa schola professionalis institui nondum potuit, quia et locus aptus et magistri hac re eruditi deerant.³⁶ Tamen in primo capitulo generali participes iam postulaverant, ut talis schola necessario institueretur.³⁷



*Domus Sanctae Annae anno 1898^o, cum esset domus lavatoria.
[Maria HILDEBRANDT (2008), p. 59.]*

Autumno anni 1899ⁱ Ottilianis molina emenda oblata est, quae immediate iuxta vicum Vindacum³⁸ sita erat (qui vicus in meridie monasterii situs illo tempore semihorā itineris ab vico monasteriali distabat). Ottiliani autem hac oblatione valde attracti fuisse videntur. Nam cum quotannis multum frumentum molendum et multum lignum serrā tractandum haberent, propriam molinam possidere eis opportunum atque optabile videbatur.³⁹ Hunc enim in modum pecuniae parcere potuerunt, cum non iam alienae molinae ad varia opera efficienda adeundae essent. Itaque loco inspecto variisque deliberatio-


³⁶ Talis schola professionalis demum anno 1912^o permissione regiminis acceptā institui potuit. - De hac re *cfr* infra.

³⁷ *Cfr* supra cap. 3.4.2.1.

³⁸ *Windach*.

³⁹ Praeterea ad possessionem futuram etiam instrumenta atque pecus pertinebant, quae Ottiliani, quia ipsis necessaria non erant, iterum vendere in animo habebant.

nibus factis die 14^o m. Nov. a. 1899^o in conventu monasteriali hanc molinam Vindacensem emere unanimiter decernebatur. Eodem autem die contractus provisorius initus est.⁴⁰ Licentiā regiminis acquisitā die 4^o m. Dec. a. 1899^o



*Aedificiorum Ottiliensium dispositio localis anno 1902^o delineata.
[ASO, A.13.4.]*

contractus definitivus subscriptus est et molina Vindacensis in possessionem Ottilianorum transiit.⁴¹ Ad hanc molinam pertinebat fundus circiter undequingenta hectarearum, ex quibus, quia eis non indigerent, Ottiliani triginta quattuor hectareas iterum vendere voluerunt.⁴²

Inde ex initio mensis Septembris a. 1901ⁱ fratres Ottilienses opus exanclaverunt, quo molinam Vindacensem mutaverunt atque indigentiis suis adapta-

⁴⁰ *Cfr* Chron. Ottil. m. Nov. a. 1899; Missionsblätter 4, 1900, p. 31; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 18.

⁴¹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Dec. a. 1899; Missionsblätter 4, 1900, p. 31; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 18; Cyrill WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 19.

⁴² *Cfr* Chron. Ottil. m. Dec. a. 1899. - Omnia, quibus ipsi Ottiliani non indigebant, mense Februario a. 1900ⁱ publice vendita sunt. - *Cfr* Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 19.

verunt. Praeter alia apparatus turbinalis instructus est, quo serra ad lignum tractandum incitaretur, et novus canalus ad aquam defluentem spectans constructus est, qui uno metro atque quadraginta centimetris magis in profundo situs erat quam canalus vetus et qui hunc in modum magis proclivis erat atque maiorem vim aquae effecit.⁴³ His in operibus, quae ad molinam Vindacensem pertinebant et quae mense Novembri a. 1901ⁱ finita erant, multa facta sunt F.re Paulo Sauter duce.⁴⁴

3.5.4. De re ferriviaria

Variis ex causis res ferriviaria Ottilianis erat magni momenti. Nam unā ex parte propter condiciones aedificationis materiae struendi quam propinquissime afferendae erant, alterā ex parte semper multae res ex ipso monasterio in regiones missionarias mittendae erant. Itaque praeter alia adiunctio monasterii ad rete ferriviarium opportuna atque vere utilis erat.

Iam anno 1895^o quaedam initia facta sunt, quibus inceptum ad bonum effectum adduceretur.⁴⁵ Sed plures consultationes habendae atque plures difficultates superandae adhuc restabant et praeterea propria opera monachis exanclanda erant. Sic ex. gr. pars muri, quo hortus monasterii sororum circumcludebatur, amovenda erat, ut locus ad tramitem ferriviarium exstruendum fieret. In quos labores monachi statim mense Martio a. 1897ⁱ magno cum entusiasmo incubuerunt - ut ex chronicis apparet⁴⁶ -, ita ut murus celeriter amotus esset. Monachi verisimiliter gaudio impulsus erant, quod in propinquo

⁴³ *Cfr* Chron. Ottil. m. Sept. a. 1901; m. Oct. a. 1901; Missionsblätter 5, 1901, p. 123; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 20.

⁴⁴ Abbas Norbertus Weber Kal. Maiis a. 1904^o ad Vaticanum epistolam direxit, quā rogavit, ut molinam fundumque adiacentem iterum vendere ei liceret (ASO, A.2.2.1 [copia, cuius textus originalis in archivo Sancti Anselmi asservatur]). Argumentum autem erat in eo, quod distantia molinae ab ipso monasterio nimia esset, ut disciplina monachalis illorum, qui ibi operabantur, bene servari posset, et quod - uti ex experientia animadvertebatur - lucrum ex hōc praedio non exspectandum esset, immo detrimentum timendum esset, et quod pecunia ex venditione molinae accepta bene ad alium fundum suscipiendum adhiberi posset. Quamvis haec rogatio statim concessa esset, molina Vindacensis deinde plures annos in usū mansit.

⁴⁵ *Cfr* supra cap. 2.3.7.9.

⁴⁶ *Cfr* Chron. Ottil. m. Ian./Mart. a. 1897, ubi haec scaena aliquatenus hilariter describitur. - *Cfr* Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 14; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 278.

monasterii ferrivia fieret.⁴⁷

Cum illis temporibus imprimis propter novam ecclesiam aedificandam multae materiae ad monasterium afferendae essent, monachis, ut labores paulo facilitarentur, easdem traminibus satis in propinquum transportari cordi erat. Cellerario autem P.ri Coelestino Maier multo tempore adhibito atque multis colloquiis institutis contigit, ut ab administratione ferriviariā impetraret, ut Ottilianis in oppidulo Geltendorf currūs onerarios ipsis destinatos exonerare liceret.⁴⁸ Tamen Coelestinus Maier condicionem meliorare valuit, cum semi-anno post, id est mense Martio a. 1898ⁱ, licentia praeberetur, quā currūs onerarii non longe ab coemeterio monasterii subsistere possent, ita ut materiae ibīdem deponerentur.⁴⁹

Nihilominus illo tempore dissensiones de statione ferriviariā Ottiliensi inter administrationem ferrivariam atque Ottilianos exortae sunt. Nam quamvis in consultationibus praeviis condicio, quā monasterium aream quandam ad tramitem exstruendum administrationi ferrivariae gratuito traderet, esset in eo, ut monasterium proprium «stationem subsistendi» acciperet,⁵⁰ eadem administratio ferriviaria iam anno 1897^o decrevit iuxta monasterium talem «stationem» exstructum non iri.⁵¹

Tamen Ottiliani hac condicione non erant contenti atque disputationes huius quaestionis continuaverunt. Scitū vere dignum hōc in conexū est commer-

⁴⁷ Iam anno 1895^o Ottiliani consultationibus praeviis promiserant se aream ad tramitem exstruendum necessariam administrationi ferrivariae tradituros esse (*cfr* supra cap. 2.3.7.9), sed demum mense Aprili a. 1897ⁱ fundus officialiter traditus est, ut ex excerpto contractūs die 10^o m. Apr. a. 1897^o scripto apparet (ASO, A.11.10).

⁴⁸ *Cfr* Chron. Ottil. m. Sept. a. 1897; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 278; Frumentius RENNERT: Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien ²1992, p. 3 adn. 2.

⁴⁹ *Cfr* Chron. Ottil. m. Mart. a. 1898; epistula Ludgeri Leonard die 4^o m. Apr. a. 1898^o ad ferrivariam administrationem superiorem directa, quā pro hac re gratias egit (ASO, A.11.10); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 15; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 280.

⁵⁰ *Cfr* protocollum die 9^o m. Dec. a. 1895^o scriptum (ASO, A.11.10).

⁵¹ *Cfr* etiam Maria HILDEBRANDT (2008), p. 280. - *Cfr* Chron. Ottil. m. Dec. a. 1897, ubi de difficultatibus refertur et ubi legitur administrationem ferrivariam ad stationem subsistendi instituendam tot et tanta postulare, ut Ottiliani potius propriam stationem renuntiare vellent. - *Cfr* etiam Chron. Ottil. m. Ian. a. 1898, ubi chronista scribit administrationem ferrivariam rescripsisse se ad tempus nullam «stationem» exstruere posse et Ottilianos hac re etiam contentos esse. Tamen haec sententia realitati non ita convenisse videtur, quia Ottiliani deinde quōque pro statione suā pugnare perrexerant.

cium epistulare inter monasterium Ottiliense et Monacense ferriviarium directorium generale atque ferriviarium administrationem superiorem Augustanam.⁵² Sic die 12^o m. Ian. a. 1898^o Ottiliani ad Monacense directorium ferriviarium scripserunt, cum idem Ottiliensem stationem subsistendi sumptibus publicis instruere atque sustentare nollet, ipsis non iam esse obligationem, quā aream ad ferriviam exstruendam gratuito traderent.⁵³ Si Ottiliani revera ab illo proposito suo recessissent, administratio ferriviaria in magnas difficultates incidisset. Nihilominus eadem postulationi monasterii cedere nondum parata erat.

In eadem epistolā mensis Ianuarii modo commemoratā Ottiliani praeterea perseveraverunt in promissione iam anno 1895^o ab administratione ferriviariā factā, quā in statione Geltendorfiensi specialis pars ad merces expediendas institueretur. Quia ipsi quoque hōc locō expeditionis uti voluerunt, iam promiserant se sumptibus propriis viam usque ad stationem Geltendorfiensem structuros atque sustentaturos esse. Sed epistolā mensis Ianuarii etiam ostenderunt hanc viam futuram mansuram esse possessionem privatam monasterii.⁵⁴

Illa via ab Ottilianis struenda administrationi ferrivariae bene conveniebat, cum Geltendorfiensem expeditionem mercium institutum iri confirmaret, sed officiales stationem subsistendi adhuc concedere noluerant, immo tale omnino neglegere voluerunt.⁵⁵

Quamvis Ottiliani mense Martio a. 1898ⁱ statim illam stratam Geltendorfiensem struendam incohavissent, cuius substructura mense Iunio a. 1898ⁱ iam

⁵² Non omnes epistolae huius commercii videntur asservatae esse, sed eae, quae in archivo Ottiliensi inveniuntur, sunt iam satis significantes.

⁵³ *Cfr* epistula die 12^o m. Ian. a. 1898^o ad ferriviarium directorium generale data (ASO, A.11.10). - Haec epistula - ut ibidem apparet - erat responsum ad litteras ferrivarias die 3^o m. Ian. a. 1898^o missas.

⁵⁴ Maria HILDEBRANDT (2008), p. 280 scribit quidem (verisimiliter chronica sequens), cum in initio mensis Martii a. 1898ⁱ administratio ferriviaria stationem Ottiliensem instituere recusavisset, Ottilianos hanc viam Geltendorfiensem exstructuros esse decrevisse. Sed ut ex epistula mensis Ianuarii a. 1898ⁱ apparet, iam multo prius de hac via sermo fuerat. - Similiter ac Maria Hildebrandt etiam Konrad HECKELSMÜLLER: *Baugeschichte St. Ottilien* (s.a.), p. 15.

⁵⁵ *Cfr* epistula ferrivarii directorii generalis Kal. Mart. a. 1898ⁱ ad monasterium Ottiliense directa (ASO, A.11.10). - Eadem epistolā etiam agitur de consultationibus propter stratam Geltendorfiensem habendis, quia postulabatur, ut eadem usque ad orbitas duceretur.

erat confecta,⁵⁶ tamen iidem pugnam de «statione suā subsistendi» nondum finire neque ab postulato suo abscedere voluerunt. Prudenter autem argumenta sua protulerunt, cum unā ex parte rogaverunt, ut illa permissio, quā currūs onerarii iuxta monasterium exonerare liceret, etiam ad vicum propinquum Pflaumdorf extenderetur (hunc in modum demonstrans, quam necessaria talis statio esset), alterā ex parte rogaverunt, ut statio subsistendi ab ministerio publico iam concessa tamquam «locus subsistendi» (qui est minoris momenti) denique institueretur.⁵⁷

Ut etiam hōc in conexū animadvertitur, perseverantia interdum bonum effectum habet. Nam epistolā die 28^o m. Iun. a. 1898^o datā ferriviaria administratio superior Augustana Ottilianis tandem illum «locum subsistendi» concessit, qui - ut expressis verbis scriptum est - etiam propter vicos Pflaumdorf, Aeresingam⁵⁸ et Bragodurum⁵⁹ institueretur.⁶⁰

Gaudium Ottilianorum de bono effectū erat satis magnum. Itaque, cum ex causis technicis - ut dicebatur - prius fieri non posset, denique Kalendis Octobribus a. 1898ⁱ Ottiliensis ferriviarius «locus subsistendi» sollemniter inaugurabatur.⁶¹ Tamen ipse locus diutius aspectum non ita prosperum praebuit, cum ibīdem praeter ipsas orbitas atque tugurium ex metallicis laminis undulatis compositum, quo «statio» repraesentabatur, nihil esset.⁶²

⁵⁶ Cfr Chron. Ottil. m. Mart. a. 1898; m. Iun. a. 1898; Missionsblätter 2, 1898, pp. 54, 89; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 15.

⁵⁷ Cfr epistula Ludgeri Leonard die 4^o m. Apr. a. 1898^o ad ferrivariam administrationem superiorem Augustanam data (ASO, A.11.10). - Argumentis idem subiunxit videndum esse, num in futurum vera statio ferriviaria Ottiliensis necessaria esset.

⁵⁸ *Eresing.*

⁵⁹ *Beuern.*

⁶⁰ Cfr epistula ferriviariae administrationis superioris Augustanae die 28^o m. Iun. a. 1898^o ad monasterium Ottiliense directa (ASO, A.11.10). - Illā epistolā praeter alia etiam agitur de stratā Geltendorfiensi eiusque usū.

⁶¹ Cfr Chron. Ottil. m. Oct. a. 1898; Missionsblätter 2, 1898, p. 89; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 15; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 280. - Ille «locus subsistendi» constitutus erat iuxta chiliometrum 23,1 ferriviarii tramitis «ferriviae lacūs Ambronis» et situs est in altitudine 595,4 metrorum supra mare. - Cfr Peter RASCH: Die Nebenbahnen zwischen Ammersee, Lech und Wertach. St. Ottilien 2011, p. 123.

⁶² Illud tugurium usque ad hodiernum tempus est asservatum et in praesenti iuxta viam inter cauponam Ambingensem atque tabernam monasterialem sitam constitutum est.



Ottiliensis «locus subsistendi». Aspectus, quem etiam iam anno 1900° praebuit.
 [Maria HILDEBRANDT (2008), p. 279.]

Ipsa autem ferrivia inter Augustam Vindelicum atque Aburacum⁶³ denique die 23° m. Dec. a. 1898° definitive atque sollemniter usui tradita est.⁶⁴ Quidam ex Ottilianis, inter quos P. Subprior, hanc sollemnitatem tramine vehentes participaverunt, quia - ut chronista hilariter adnotat - hunc in modum monstrare voluerunt «illos habitum gerentes institutionibus modernis non esse infestos».⁶⁵

[VOX LAT. 186, 2011, pp. 515-528]

SIGRIDES ALBERT

⁶³ Aburacum: *Weilheim*. - Cfr Ladislaus BUZÁS / Fritz JUNGINGER: Bavaria Latina. Lexikon der lateinischen geographischen Namen in Bayern. Wiesbaden 1971, p. 52.

⁶⁴ Cfr Chron. Ottil. m. Dec. a. 1898; Missionsblätter 3, 1899, p. 30 (de anno 1898); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 16; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 280. - Frumentius RENNER: Leuchter II (1992), p. 3 adn. 2 per errorem annum 1899 indicat.

⁶⁵ Cfr Chron. Ottil. m. Dec. a. 1898. - Quaedam aliae adnotationes criticae de administrationis ferriviariae modo ordinandi in iisdem chronicis leguntur. Sic chronista ex. gr. scribit «incredibile, sed verum esse in stationibus lateralibus, in locis subsistendi sic dictis, tesseras tantummodo usque ad proximam stationem emi posse. Cum ergo aliquis ex nostris usque ad locum Kaltenberg vehi vult, eidem primo tessera decem penninorum usque ad oppidulum Geltendorf solvenda est et deinde Geltendorffii talem usque ad vicum Kaltenberg.» (Textus originaliter Theodiscus). - In nonnullis rebus, quas libenter difficiliore reddidit, quae revera sunt, videtur ergo administratio ferriviaria interea non multum mutata esse.